

*τιμὰν* v. 787. *εὐσθενοῦντ'* v. 879. De quibusdam paucis dubitari potest utrum a Pearsoni manu scriptæ fuerint; e. g. *σὺ δὲ εἰ δικαίως* v. 435. *ἥτις* v. 438. *φόνον* v. 439. *ὅλως* v. 441. *ἄξω* v. 456. has autem non Pearsoni esse censuit testis ex nupera Pearsoni manuscriptorum tractatione gravissimus *Ædis nostræ clarissimus Decanus*, qui hos codices mecum inspicere dignatus est. Pauca quasdam ex aliis desumptas ascripsisse videtur Pearsonus, e. g. *κυνηγετῶ* v. 225. *ὅρκίοντος αἴρουμένη* v. 451.

Jam conjecturæ istæ in libro Rawl. 190. ascriptæ ad unam fere eadem sunt cum iis quæ in libro Mitford. de quo vid. Blomf. Præf. ad Choeph. et in Mus. Crit. ii. p. 488. Porti esse dicuntur. Pearsoni non esse vel hoc liquido demonstrare videtur, quod Pearsonus ad v. 879. *εὐσθενοῦντα* conjectit; *P.* autem, quisquis tandem ille sit, *εὐθηνοῦντα* mavult. Quare nullus dubito conjecturas in libro Rawlinsoniano ad eundem fontem esse referendas. Eum autem non Portum (cujus perpaucas esse supra monui) sed Casaubonum fuisse putat Blomf. nec sine magna probabilitate: *P.* enim cum eis quas Casauboni esse aliunde innotuit, sæpen numero consentit. Atque de his hactenus.

Editiones impressas, sc. Aldinam, Turnebianam, Rorbortellianam, Stephanianam, Canterianam, Stanleianam, tanquam omnibus notas commemorare vix attinet. Ex